

tum constanti habitu obfirmant. Notatque adeo firmum animi propositum & alacritatem properantis ad mortem, ut ipsam potius à se fugientem aggredi atque laceſſere maluerit. Et sanè obfirmatione opus erat, ac fortitudine, quando tam sponte properabat ad passionem. Sicut cervus exagitatus aquarum torrentes quærerit, ut sitim extinguat; Psalm. XLII. 2. Ita moriendi sitim Christus dilucidè satis expressit, quando *baptismate debeo baptizari*, dixit, *E quomodo coarctor, usq; dum perficiatur*; quām sollicitè anxius sum & precor pro salute mundi, ut brevi liberetur! Observatum præterea est, teste *Macrobius in Saturn. Lib. III. cap. 5.* à sacrificantibus, ut si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se invitam altaribus admoveri, amoveretur: quia invito Deo illam offerri putabant. Quod ipsum *Florus Hist. Rom. Lib. IV. c. 2.* testatur. Nunquam, inquit, imminentis ruinæ manifestiora prodigia fugâ victimarum &c. Unde placidum victimarum vultum videre gestiebant.

Seneca in Oedipode: — — — *hæc properè admove*
Et ſparge ſalsa colla taurorum mola.
Placidōne vultu ſacra E admota manus
Patiuntur?

Ita quoq; malum portendere victima credebatur, quæ diros edet mugitus. *Silius Italicus Lib. XVI.*

Et ſimul exſtructis ceſpes ſurrexerat aris,
Victimaq; admotæ ſtabat ſubiecta bipenni,
Cum ſubitò abruptis, fugiens altaria, taurus
Exiliit vinclis, mugituq; excita late
Implevit teda: E fremitu ſuſpiria rauco
Ingeminat.

Operam ergo dabant, ut victima annuere videretur, *Plutarchus Sympos. Lib. VIII. cap. 8.* Ἀχει δὲ νῦν τε φυλάττους ιχνεύως, ποὺς σφαττεῖς πείμαται καταπέμπομεν. Id maximo opere observant, ne jugulent victimam, niſi immolata annuat. Ea re aquam hostiarum auribus infudiffe videntur *Brissonio*, quo nimirum, annuentium in modum caput motitarent. Ita Afri quoque liberos immolantes suos diligenter caverunt, ne inviti offerre viderentur. Nam parentes infantibus blandiebant, ne lacrymantes immolarentur, ut ait *Tertullian. Apolog.*